









Johann Andreas Bauer  
Part. zu Groß-Dama und Zehnfeld.  
Ano. 1700. Verwandt mit 12. 96.



**PROGRAMMA**  
 QVO  
**OSTENDITVR**  
**HOMINES MAXIME MOVERI EXEMPLIS**  
**EORVM**  
**QVORVM NOMEN SVSTINENT**  
 SIM VL QVE  
**AD ORATIONEM**  
**DEVITA AC REBV S GESTIS**  
**BALTHASARIS MEISNERI**  
**VITEBERGENSIVM THEOLOGI**  
**BENEVOLE AVDIENDAM**  
**OMNES QVIBVS MEMORIA VIRI ILLIVS**  
**DE COETV LVTHERANORVM**  
**PRAECLARE MERITI**  
**GRATA EST ATQVE ACCEPTA**  
**OFFICIOSE AC PERAMANTER**  
 INVITANTVR  
 M. IO. GEORGIO *Schulzen.*

---

NVMBVRGI,

*Typis BALTH. BOSSOEGELI, Typogr. Privil.*

A. Ω.



Agna omnino vis magnumque momentum,  
ad animos hominum permouendos, positum  
est in exemplis, praecipue illorum, quos nomi-  
nis quadam cognatione attingunt. Id quod  
omnium optime cognitum perspectumque ha-  
buisse videtur magnus ille Macedonum rex,  
Alexander, qui militem, quem a perdita luxuria ad virtutem  
revocare volebat, admonuit nominis, quod secum commune  
haberet, adfirmans, aut illud aut mores ipsi esse mutandos. Qui-  
bus verbis significare voluit, indignum eum esse, qui eodem se  
cum vteretur nomine, nisi vitam etiam, ac mores ad suum  
componeret exemplum. Neque populus Romanus eius rei  
fuit ignarus, qui, cum intelligeret, Antoninum ex sententia rem  
publicam administrasse, omnes eius successores eodem appellari  
voluit nomine, ratus fore, ut eo excitati, exemplum patris  
patriae, ab illo rebus praeclare gestis expressum, sequentur.  
Quid noster Lutherus? ille vero Eberum, sacrorum apud Vite-  
bergenenses antistitem, nullo arguento se vehementius permo-  
turum putauit, ut doctrinam Pauli, seruatoris ad gentes legati,  
integralm seruaret, quam si in mentem ipsi reuocaret nomen,  
quod cum eo haberet commune. Cum enim circa diem, me-  
moriae Martini sacram, anno M D X L V, Pomeranum Melan-  
chthonem, Crucigerum, Maiorem, & hunc, quem diximus,  
Paulum Eberum conuiuo exceperat, eoque finito, illos de pe-  
riculo sacris, sua opera repurgatis, imminenti admonuisset;  
tandem ad Eberum conuersus: *Tu vocaris, inquit, Paulus,*  
*moneo igitur te, ut exemplo Pauli studeas constanter seruare &*  
*tueri doctrinam, quam Paulus tradidit.* Inde etiam factum est,  
ut olim christiani homines infantibus non alia, quam virorum  
singulari vitae sanctimonia conspicuorum, in primisque Christi  
legatorum, nomina imponerent, sperantes fore, ut iis ad vesti-  
gia illorum legenda excitarentur. Nostra autem aetate quam-  
quam illi parentes merito superstitionis arguantur, qui sibi per-  
suaderent, liberos suos non posse non viris sanctis celeribus-  
que similes euadere, quorum nomen iis fuerit tributum; illo-  
rum

rum tamen institutum minime vituperandum statuit celeberrimus Ieniensium theologus , Buddeus in suo de atheismo & superstitione libro , qui liberis suis sanctorum hominum nomina induit eo consilio , vt habeant , quo ad virtutes illorum ardenti-ori studio imitandas , veluti stimulo admoto , instigentur . Neque nos vlla re vehementius inflammari possumus , vt vestigii a Christo nobis relictis insitamus , quam illa , quam abeo tra- ximus , appellatione . Qui enim christiani nomine gaudens , ad Christi exemplum vitam moresque non conformat , isti adeo non egregius ille titulus ornamento est , vt dedecori potius sit , & , Saluiani sententia , instar monilis de collo spurcae suis penduli . Quae cum ita sint , nemo mirabitur , Ioannem Er- nestum Meisnern / Tromsdorff Thur. iussum esse prius , quam a nobis discessionem faciat , vitam Balthasari Meisneri , theologi apud Vitebergenses olim celeberrimi , exponere . Ea enim mente id a nobis factum est , vt exemplum veluti ipse sibi ob oculos poneret , ad quod moribus suis exprimendum eo ve- hementius excitaretur , quo arctius cum viro illo communi Meisneri nomine esset coniunctus . Meisneri autem illius vi- tam ita fuisse comparatam , vt merito , exempli loco , ad imitan- dum possit proponi , nemini erit dubium , qui illam cognitam habet atque perspectam . Godofredus quidem Arnoldus non leuem se illi maculam adspersurum putauit , cum retulit , Meis- nerum adeo ad rem fuisse attentum , vt persona sua non indi- gnus existimat argentariam facere , eamque rem tam bene illi successisse , vt ex tribus triginta numum millia effecerit . Sed aqui rerum aestimatores iam dudum animaduerterunt , id vi- ro isti fuisse propositum , vt illorum omnium famae detraheret , turpisimamque ignominiae notam ille inureret , qui id egerunt sedulo vt fontes coelestis doctrinae , quam fieri possit , purissimos conseruarent . Deinde quis vitio vertere velit sacri ordinis viro , si posteros spectans pecuniae habeat rationem , eamque , licita quidem ratione , amplificare studeat . Facere tamen Arnoldus non potest , quin illud vehementer in Meisnero probet , quod certum cum animo deliberatumque habuerit scholas aperire , atque in iis , quae perperam tam in sacra quam ciuili republica fierent ,

non

non solum demonstrare, sed etiam viam ostendere, qua tolli corrigique possent. Dolendum autem summopere est, Meisnero mortem obrepisse prius, quam id, quod animo destinauerat, effectum dare posset. Multo tamen plura in vita Meisneri occurrere, quae laudari iure celebraque mereantur, declamator, noster oratione luculenta demonstrabit. Ex quibus quaedam felicitet amicus eius integrerrimus Ioannes Michaël Richter/ Numb. Misn. cum quo magnum adhuc illi virtutis certamen fuit, eumque etiam atque etiam hortabitur prius, quam ipsi discendi fausta quaevis atque felicia, nomine condiscipulorum, apparetur, vt Meisnero non nomine magis, quam rebus his praelare gestis euadat simillimus. Id quod etiam facturum, eo minus dubium est, quo verius illi omnes, quibus adhuc usus est praceptoribus, adfirmant, eum non commisere, vt pii diligenterisque discipuli officium in se iure desiderari posset. Cum itaque Meisnerus noster non indignus sit, qui audiatur; Meisnerus autem ille, de quo verba faciet, longe dignissimus, cuius memoria a nobis recolatur: non tam speramus, quam plane confidimus, fore, vt omnes litterarum fautores ac patroni locum precibus nostris relinquant, & cras, finitis sacris, in memoriam divi Andreae instituendis; in aede scholae nostrae cathedralis frequentes conueniant, hos declamatores exigui temporis attentione dignaturi. P. P. Numburgi IV. Cal. Decembr.

MDCCXXVI.











78 M 496



b7



**PROGRAMMA**  
*QVO*  
**OSTENDITVR**  
**HOMINES MAXIME MOVERI EXEMPLIS**  
**EORVM**  
**QVORVM NOMEN SVSTINENT**  
*SIM VLQVE*  
**AD ORATIONEM**  
**DE VITA AC REBVIS GESTIS**  
**BALTHASARIS MEISNERI**  
**VITEBERGENSIVM THEOLOGI**  
**BENEVOLE AVDIENDAM**  
*OMNES QVIBVS MEMORIA VIRI ILLIVS*  
*DE COETV LVTHERANORVM*  
*PRAECLARE MERITI*  
**GRATA EST ATQVE ACCEPTA**  
**OFFICIOSE AC PERAMANTER**  
**INVITANTVR**  
*A*  
**M. IO. GEORGIO Schulzen.**

NVMBVRGI,

*Typis BALTH. BOSSOEGELI, Typogr. Privil.*

